

QUÆSTIONES

CIRCA MATRIMONIA MIXTA A SACRA CONGREGATIONE DE
PROPAGANDA FIDE

die 17 novembris, anno 1835, solutæ.

CUM à R. P. D. episcopo Quebecensi plerumque dubia circa matrimonia mixta et clandestinè vel aliter inordinatè contracta sacre Congregationi de Propagandâ Fide proposita fuissent, re ad supremam S. Officii Congregationem delatâ, Eminentissimi Cardinales contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores dubia isthæc, ut sequitur, soluta voluerunt :—

QUÆRITUR 1°. Sitne validum matrimonium à duobus catholicis natu minoribus secundum formas ab Ecclesiâ præscriptas contractum, sed tamen invitis parentibus ?

RESPONDETUR affirmativè. Nec enim dissensus parentum aut ætas minor inter impedimenta matrimonium dirimentia ullo possunt modo nostris hisce temporibus recenseri. Leges Cæsareæ et jussa principum huic adversa sententiæ non moramur. Illa namque aut de civilibus tantum effectibus sunt intelligenda, sicuti de edicto Henrici III regis Christianissimi à Ludovico XIII confirmato, sentiunt præstantes viri Lovetus in Parisiensi senatu consiliarius, Habertus episcopus Vabriensis, Cabassutius, Gerbasius, Natalis Alexander, alique ; aut quàm id statuunt quòd limites prætergreditur secularis potestatis, sunt omnino rejicienda.

Circa ea quæ ad rationem pertinent sacramentorum, non principibus secularibus sed soli Ecclesiæ plena est definiendi potestas. Ea verò non solum in cap. *Cum locum*, de sponsal, et mat. in cap. *Licet*, et in cap. *Tua*, de sponsâ duorum, ejusmodi matrimonium rata habuit et declaravit ; verum et Tridenti in Spiritu Sancto legitime congregata eos anathemate percussit, *qui falso affirmant matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse*. Nullus igitur dubio reliquus locus est super validitate prædicti matrimonii.

QUÆRITUR 2°. Utrum matrimonium partis catholicæ et partis protestantis, utriusque natu minoris, invitis parentibus unius ex partibus contractum coram magistratu vel ministro protestante et duobus testibus, validum censi debeat necne ?

RESPONDETUR affirmativè, pro Canadæ regionibus ad quas extensa est Benedictina declaratio*. Jàm enim suprâ monuimus neque ætatem minorem neque parentum dissensus dirimere matrimonia ; quod non de catholicis solum, sed de ipsis etiam protestantibus volumus intellectum, cum hæretici quoque sacris Ecclesiæ legibus teneantur ; nec in iis præsertim, quæ attinent ad sacramenta, seculares leges Ecclesiæ sanctionibus ullo possint esse detrimento. Deficientia tandem parochi, in casu expresso, non nisi clandestinitatem parit, quæ in illis locis in quibus vium habet Benedictina declaratio, haud irritat matrimonia hæreticorum. Cum verò, ut idem fert Benedictus XIV in opere de Synod. Dioc. in matrimoniis mixtis pars libera et immunis à lege eandem immunitatem cum alterâ parte communicare censetur ; sequitur profectò clandestinitatem non ob stare mixtis matrimoniis in Canadæ regionibus contractis.

QUÆRITUR 3°. Estno validum matrimonium à duobus protestantibus absque ullo teste contractum ?

RESPONDETUR : Est validum pro Canadæ regionibus ; inibi enim viget Benedictina declaratio quæ valida declarat ea matrimonia quæ clandestinè ab hæreticis contrahuntur.

QUÆRITUR 4°. Matrimonium partis catholicæ et partis hæreticæ contractum inter utramque partem, nullo adstante teste, validumne censi debet ?

RESPONDETUR : Validum pro Canadæ regionibus ob sæpius laudatam Benedictinam declarationem ad ea loca extensam. Hoc patet ex dictis in solutione ad dubium

* Declaratio SS. DD. N. Benedicti Papæ XIV, cum Instructione super dubiis respicientibus matrimoniis in Hollandiâ et Belgio contracta et contrahenda, edita die 4 novembris 1741, ad Canadæ regiones extensa fuit per SS. DD. N. Clementem Papam XIII, die 29 novembris 1764.